

Catarrhos tumultuaria methodo disposita Inaugurali hæcce sisto. Veniam autem mihi ab illis præsertim dari volo, quæis non accessi vel contradixi. Est enim hæc Libertas Academica, ut possis dicere in Naturæ præsertim genere, quæ sentias, modò cum Ratione dicas, cui quidem rei ut asfuescerem, ab ineunte dare didici operam. Neque quam in aliorum sententiis dijudicandis mihi sumsi libertatem, aliis invideo, imò potius commendo. Non illi promptius me monebunt errantem, quàm ego lubens sequar, sicuti Ætas creverit DEO dante solidiores aliquando fructus daturus. Esto proinde favente in coelis Numine

C A P U T I.

exhibens

*Circularis lymphæ motus
Theoriam.*

§. I.

Integritatem humani corporis ingeniosissimæ Machinæ in motu consistere, neminem reor inficias iturum. Est enim ista, sicut reliquorum animantium, reverà avtomatica, cujus suprema rota est impetum illud faciens Hippocratis, quod alias in corpore rotas quàm mirificè circumagit, hicque primus Archealis motus est, reliquorum in corpore princeps. Deflecto ab hoc ad liquidi motum, & seposito tantisper sanguinis intestino sive fermentali, à contrariarum particularum, acidi cum primis & ossi, ex favore influi spiritus excitatarum conflictu oriundo, alterum localem seu progressivum perpendo, quo secundum hydraulicas leges movetur machina. In hoc antliæ vicem gerit musciosa cordis substantia, turbinis adinstar contorta, quæ ceterorum muscilorum ritu per flammeos & lucidos spiritus fibras ejus